



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 84. Ludovicus XII. Venetorum reconciliationem impedire conatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1510.

§. LXXXIII.

*Veneti in Papæ gratiam redire  
intenti.*

*Bonacurs. in  
diar. iis.  
Guic. lib. 8.  
Belcar. l. II.  
n. 49.  
Marian. l. 29  
Raynald. hoc  
ann. n. 1.*

**M**utuo hoc foedere Cæsarem inter & Galliæ Regem Venetorum res haud parum turbabantur; hi quippe sat per spectum habebant, quod, si Ludovicus, Verona & Vallegio pignoris instar occupatis, Vicentiam etiam ac Patavium, & Trivisium expugnaret, ipsi denique non nisi suis paludibus inclusi, continentem recuperandi spe penitus dejicerentur; non enim ipsis integrum erat, eo redire, nisi Germanorum, ac Gallorum copias, quæ suis longe superiores erant, aggredierentur: quocirca præmissa matura deliberatione Senatus hoc unicum malo restare præsidium censebat, ut sese Pontificis arbitrio committeret, pacemque cum illo diu jam agitatum perficeret, quascunque demum condiciones præscriberet.

§. LXXXIV.

*Ludovicus XII. Venetorum reconciliationem impedire conatus.*

**V**erum Ludovicus cum probe nosset, quod summus Pontifex in Regis odium

odiam Helveticos a Gallorum foedere a-<sup>saecul. XVI.</sup>  
 vellere conatus fuisset, atque aliunde A. C. 1510.  
 prospiceret, quod Julius haud gratiora  
 ipsi apud Anglos obsequia praestiturus  
 esset, toto studio in id incubuit, ut Ven-  
 etos ab anathematis vinculo solvi praep-  
 ediret. Ea de re Albertum Pium de  
 Sabaudia Carpiensem Comitem Romam  
 misit, ut Cardinali Auxitano Cardinalis de  
 Ambasia Nepoti sociam operam jungeret,  
 quin etiam hunc ipsum Ludovicus Roma  
 in Franciam redire jussit, ut Pontifici spe-  
 cietenus complaceret, cui hunc Cardina-  
 lem minus gratum esse noverat: Igitur  
 Carpiensis equis veredariis acceptis sine  
 mora Romam contendit cum facultate,  
 ut Julio quo eum demulceret, atque  
 ad Cameracensis foederis partes indu-  
 ceret, amplissimas, quas vellet, pollicita-  
 tiones faceret, eidemque significaret, Re-  
 gem deinceps cuncta Pontificis decreta  
 religiosissime acceptaturum, simulque ra-  
 tionem itineris, quod pro communis  
 causae bono proximo Vere in Italiam me-  
 ditaretur, ejus arbitrio penitus relicturum.

## §. LXXXV.

*Pontificis Venetis reconciliati  
rationes.*

Verum Carpiensis Romam perveniens, *Raynald. ib.*  
 praeter expectationem concordiae *n. 2.*  
 nego-